



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 3. Vtrum Christus, vt homo, habuerit potestatem operandi interiorem  
effectum Sacramentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



ta: ergo conueniens erat per eandem naturam Sacramenta instituire. Secundò, Quia Sacramentorum institutio pertinet ad munus Sacerdotij Christi; nam per Sacramenta nos sanctificat: atqui Christi est Sacerdos per naturam humanam: ergo &c. Tertiò, Quia Christus per naturam humanam habebat auctoritatem remittendi peccata, & sanctificandi homines, etiam absque Sacramento: vt patet Matthei 9. v. 6. & Marci 2. v. 10. Vt sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, &c: ergo etiam poterat externa signa instituire, quorù applicatione homines sanctificarentur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus vt hominibus potestatem operandi interioriorem effectum Sacramentorum?

Respondetur, Christus quia Deus habet potestatem auctoritatis: quia homo habet potestatem excellentis ministerij, respectu interioris effectus Sacramenti.

Potestas Auctoritatis, & excellentis ministerij.

Vbi nota, Potestatem Auctoritatis, esse potestatem cause principalis, non dependentis ab ulla superiore; quæ potestas est solius diuinitatis. Potestas autem excellentis ministerij consistit in quatuor, iuxta D. Thomam. Primò, Quòd ab eius meritis Sacramenta omnem vim acceperint. Secundò, Quòd in eius nomine consecrentur. Tertiò, Quòd ipse solus ea potuerit instituire. Quarto, Quòd absque Sacramento possit conferre gratiam, etiam vt homo. Vide dicta supra de Incarnatione qu. 22. ar. 6. dubio 1. vbi paulò plenius hanc potestatem explicuimus, comprehendentes hæc quatuor sub secunda parte huius potestatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum potuerit Christus suam potestatem ministris communicare?

Respondetur; Potestatem Auctoritatis non potuisse alicui communicare; quia est ipsi propria secundum diuinitatem. Potestatem autem excellentis ministerij potuisse communicare.

Aduerte tamen, non decuisse vt reipsa hæc Potestas excellentis ministerij alicui communicaretur; tum, ne essent duo summa Capita in Ecclesia eiusdem generis, habentia parem potestatem: tum, ne in alio quam in ipso spem nostram collocarem.

Sancti potuerunt Indulgentias mereri non Sacramentis.

Dices, Merita Sanctorum operantur in Indulgentijs vnà cum meritis Christi: cur non similiter in Sacramentis? Respondeo, est dispar ratio. Primò, Quia Sacramenta sunt fundamenta religionis, & radices meritorum quæ sunt in Sanctis; unde oportebat vt ex solo fonte gratiæ Christo vim haberent. Secundò, Quia Sancti non potuerunt alijs mereri ex condigno gratiam & remissionem culpæ, qui est effectus Sacramento-

rum: potuerunt tamen remissionem pœnæ temporalis, qui est effectus Indulgentiarum.

ARTICVLVS V.

Vtrum per malos Ministros possint Sacramenta conferri?

Notandum est, Hic agi de malis ministris Catholicis; nam de hæreticis agitur articulo 9. Donatistæ senserunt sacerdotes, qui essent manifestè peccatores, carere omni potestate administrandi Sacramenta; & idè, si attentent, esse irrita. Refert hoc D. August. lib. 2. contra Cresconium cap. 17. & 18. Hunc errorè postea secuti sunt Waldenses, idem quoque sentientes de occulto peccatore: vt refert D. Antoninus 4. parte Summæ. tit. 11. cap. 7. §. 2. Denique Wiclef & Hus, addentes etiam præcitos, id est, reprobos, quantumuis videantur iusti, omni potestate carere.

Donatistæ & alij uegant.

Sed fide tenendum est; Per malos ministros & Affirmatur perditæ vitæ, si nihil aliud ex requisitis deest, Sacramenta legitima conferri, & suscipientes per illa sanctificari. Est definitum in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi damnantur Articuli Wiclef, inter quos quartus est, Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non Baptizat. Et sess. 15. vbi damnantur Articuli Ioannis Hus, inter quos octauus est, Mali ministri carent omni potestate. Idem definitur in Concilio Trident. sess. 7. can. 12. Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem (modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum & conferendum pertinent, seruauerit) non conficere, aut non conferre Sacramentum, Anathema sit.

Probatur Primò, Ex Scripturis. 1. ad Corinth. Ex Script. 4. v. 2. Hic iam queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: ergo potest esse dispensator, qui non sit fidelis.

Probatur Secundò, Testimonijs Patrum. D. Augustinus probat id septem libris contra Donatistas. Tract. 5. in Ioannem ex eo quòd Scriptura dicit, Hic est qui Baptizat; sic ait. Si Christus Baptizat principaliter in omni Baptismo, cū ipse sit eximie sanctus, poterit per quemuis etiam sceleratum, aliam sanctificare: & adfert exemplum: sicut aqua non manet, sed transit per canalem lapideum ad irrigandam areolam; ita gratia per ministrum. Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma, probat hæc similitudine; Quia tam benè per anulum ferreum imprimitur figura Regis in cera, quàm per anulum aureum. Chrysofomus homil. 8. in epist. 1. ad Corinthios. Vide apud Gratianum 1. qu. 1. Canone. Multi secularium, qui desumptus est ex Gregorio Papa: & 15. qu. 8. Canone Sciscitantibus, ex Nicolao primo ad Consulta Bulgarorum.

Nazianzenus

Chrysof.

Probatur Tertiò, Ratione: Quia Sacramenta non conferunt gratiam ex meritis ministri, sed ex meritis Christi: ergo demerita ministri non possunt Sacramenti virtutem impedire. Confirmatur, Quia sicuti ministris sua merita non conferunt potestatem, ita nec demerita potestatem auferre debent, cū hæc potestas non detur propter ipsos, sed propter Ecclesiæ utilitatem. Hoc argumento crebrò vtitur D. August. vt tractatu 5. in Ioannem, & lib. 3. contra Cresconium cap. 6.

Ex Ratio.

Secundò,